

Requiritur tamen ut factum illud sit omnino certum. Fides enim exigit ut veritas, circa quam versatur, sit evidenter credibilis, id est, ut evidens sit nullam dari prudentem formidinem de formali veritatis revelatione.

45. Hinc 1°. Quoties judico talem infantem fuisse legitime baptizatum, non possum actu fidei divinae credere eum esse justificatum, nisi evidenter excludatur omnis prudens formido circa baptismi collati valorem; et talis evidentia facile abest, praesertim ubi baptismus non fuit a me collatus.

46. Hinc 2°. Nunquam possumus fide divina credere Christum praesentem esse sub hostia, super quam ille qui communiter habetur tanquam sacerdos, verba consecrationis pronuntiavit. Etenim, nunquam validitas ordinationis sacerdotalis ita constat, ut evidenter omnis errandi formido prudens excludatur. Ad hoc quippe necessarium foret certum esse, in omnium episcoporum serie sibi a temporibus Apostolorum succedentium, et quibus mediantibus character sacerdotalis ad hunc usque presbyterum praesentem debuit pervenire, nullum fuisse invalide consecratum.

47. Attamen, hoc non obstante, absolute adoratur Christus, quatenus latens sub hac hostia, quae prudenter existimatur consecrata. Adoratio enim est actus religionis; et omnis actus religionis, sicut et caeterarum virtutum moralium, absolute fieri debet, quoties iudicium prudens fertur de veritate objecti speculative spectati; secus, jam nullus sacerdos posset habere intentionem absolutam conferendi sacramenta, quorum validitas a characterе sacerdotali pendet.

QUAESTIO VIII.

Utrum, ad constituendum objectum fidei materiale, revelatio virtualis sufficiat?

(S. Th. 1. p. q., a. 2. — Salm. *De Fide*: Disp. 1. Dub. IV. §. VI, n. 139... 142).

48. Resp. Videri potest quod sufficiat, uti affirmant Scotus, Cano, Vega, Vasquez, etc.

Etenim, 1° fides est participatio quaedam luminis gloriae. Atqui lumen gloriae fertur primario in divinam essentiam, et secundario in creaturas quae continentur in illa, sicut effectus in sua causa, vel sicut conclusiones in praemissis. Sed veritas virtualiter revelata, est conclusio veritatis formaliter revelatae. Ergo lumen fidei ad illam secundario fertur.

2° Praeterea, eo ipso quod Deus testificatur veritatem alicujus propositionis, declarat veras esse omnes conclusiones ab ea legitime deductas. Si enim vel una earum falsa diceretur, negaretur veritas principii, et Deus traduceretur ut mendax. Unde huic conclusioni contradicens merito inter haereticos computatur.

3° Praeterea, revelatio virtualis, per discursum theologicum formalis efficitur. Posito enim discursu quo evidenter eruitur conclusio ex praemissa formaliter revelata, jam liquet Deum praemissam proferendo, hanc conclusionem novisse et intendisse.

49. Sed contra dico: *Revelatio virtualis non sufficit ad objectum materiale fidei constituendum.*

Hanc sententiam tenent, cum D. Thoma, Molina, Valentia, Kilbert, Billuart et plerique recentiores.

Prob. 1° Actus fidei divinae immediate nititur super auctoritatem Dei revelantis; dum assensus datus conclusioni theologicae nititur immediate super veritatem formaliter revelatam ex qua eruitur. Sic, v. gr., actus quo credo Christum esse hominem, habet pro motivo immediato Veracitatem Dei revelantis; sed actus quo judico Christum esse risibilem, habet pro motivo immediato hanc veritatem formaliter revelatam: Christus est homo. Ergo posterior ille assensus non potest esse actus fidei.

50. Prob 2°. Fides est assensus datus Deo loquenti; et ideo ejus objectum est id ad quod terminatur locutio divina. Atqui locutio divina terminatur simpliciter ad proprium conceptum rei per verbum Dei significatae; siquidem omnis locutio de se ordinatur ad manifestandos loquentis conceptus. Ergo veritas cujus conceptus non includitur formaliter in conceptu rei per divinam locutionem significatae, non potest esse fidei objectum, quantumvis hi duo conceptus inter se logice connectantur.

Sic igitur respondendum est ad ea quae opponuntur n. 48.

51. *Ad. I.* Lumen gloriae, prout fertur immediate ad essentiam divinam, est illimitatum eo sensu quod essentia divina, in se visa, est ratio attingendi creaturas, cum sit earum causa efficiens et exemplaris. At lumen fidei non est ita illimitatum. Ratio enim assensus fidei est Dei revelantis auctoritas, quae ratio, uti diximus, ad sola formaliter revelata coarctatur.

52. *Ad. 2.* Etiam si revelatio principii invictum praebeat argumentum de veritate conclusionis ab eo legitime deductae, id non impedit quin motivum immediatum assensus quem damus conclusioni, differat a motivo immediato assensus dati principio ipsi. Conclusionem theologicae admittimus immediate propter veritatem principii revelati, et illud principium propter Dei loquentis auctoritatem.

De caetero, ut Deus verum loquatur quando principium revelat, haud necesse est quod velit conclusiones ex eo deducibiles exprimere. Si enim, per impossibile, has ignoraret, nihilominus verum loqueretur. Unde, qui dissentiret conclusioni, sed adhaereret principio revelato, non incurreret coram Deo haeresim; quamvis nonnunquam in foro externo haereticus praesumeretur, quia praesumeretur principium revelatum negare, quoties bonitas illationis est evidens.

53. *Ad. 3.* Discursus proprie dictus desservit equidem ut nobis innotescat conclusio in propositione revelata latens; sed non potest immutare revelationis qualitatem, et illam de virtuali formalem efficere. Parum autem refert quod Deus habeat notitiam conclusionum ex suo verbo deducibilium, si haec Dei notitia nobis per formalem revelationem non manifestetur.

#### QUAESTIO IX.

Utrum quidquid definit Ecclesia censendum sit formaliter revelatum, ac propterea de fide credendum?

(Suar. *De fide* : Disp. 111, sect. 11. — De Lugo. *De fide* : Disp. 1, sect. 13. — Salm. *De fide* : Disp. 1, n° 143... 151.)

54. Resp. Cum Ecclesia gaudeat infallibili magisterio, quidquid definit tanquam vere ac formaliter revelatum, credendum est actu fidei divino-catholicae. At veritates quas definit non semper proponit velut divinitus revelatas. Quaestio est utrum, hoc ultimo adveniente casu, veritas ab Ecclesia definita, habenda sit ad instar dogmatis ad objectum fidei materiale pertinentis?

Affirmant nonnulli post Suarezium et Lugonem; sed diversimode argumentantur.

55. 1° Suarez concedit veritates quas Ecclesia nondum docuit ut de fide tenendas, non esse, priusquam definiantur, nisi virtualiter revelatas. Addit tamen Deum illas, per Ecclesiam formaliter definientem, jam formaliter testificari. Non enim minor est, juxta eum, Ecclesiae auctoritas in eis quae definit, quam sacra Scriptura in eis quae docet.

56. 2° Lugo, e contra, asserit omne id quod definit Ecclesia, jam ab initio fuisse formaliter revelatum cum ipsomet magisterio infallibili. De quocumque enim ab Ecclesia definito, institui potest hic syllogismus: « Id omne quod Ecclesia proponit, assistente Spiritu Sancto ne erret, est infallibiliter verum. Atqui Spiritus Sanctus assistit Ecclesiae id definiente. Ergo hoc quod definivit Ecclesia est infallibiliter verum. » In quo syllogismo, utraque praemissa est formaliter revelata et de fide. Porro, uti jam diximus n. 37, propositio legitime deducta ex duabus praemissis formaliter revelatis, est de fide.

57. Sed contra dico: *Quod definit Ecclesia tan-*

*quam simpliciter verum, non ideo censendum est formaliter revelatum ac de fide tenendum.*

Ita communiter theologi.

Prob. 1° Ecclesia nonnunquam damnat propositiones, non ut haereticas, sed ut simpliciter veritati contrarias. Illi autem qui huic decreto pertinaciter obsequium denegant, non ideo traducuntur tanquam haeretici, nec extra Ecclesiae unitatem fiunt. Quare? Quia veritas cui contradicit propositio damnata, non est de fide credenda. Sed, posita sententia quam impugnamus, quicumque reluctaretur praefatis definitionibus, jam esset haereticus formalis et extra unitatem Ecclesiae; quia pertinaciter negaret veritatem de fide credendam et ab Ecclesia propositam.

58. Prob. 2° Si id quod Ecclesia definit tanquam simpliciter verum teneremur fide divina credere, unum ex duobus dicendum esset: vel, cum Suarezio, veritatem virtualiter tantum revelatam, fieri revelatam formaliter, vi decreti doctrinalis; vel, cum Lugone, hanc jam ab initio, in ipsamet institutione magisterii infallibilis, formaliter fuisse revelatam. Atqui neutrum dici potest.

59. a) Repugnat definitionem Ecclesiae aequivalere formali revelationi. Ecclesia siquidem definiens, neque gaudet dono inspirationis, neque accipit novam revelationem; sed habet simplicem assistentiam, qua ab omni errore praeservatur, et quae certe nec est donum inspirationis, nec nova revelatio.

Et sic patet responsio ad argumentum Suarezii.

60. b) Repugnat omnem veritatem ab Ecclesia definitam, jam ab initio revelatam fuisse cum magisterio infallibili, ut Lugo contendit.

Nam tunc solum una veritas in alia formaliter re-

velatur, quando prioris conceptus in conceptu posterioris continetur formaliter. Atqui multum abest quin res ita se habeat quoad omnes veritates ab Ecclesia definitas. Sit in exemplum factum illud dogmaticum a Romano Pontifice definitum : « Quinque propositiones Jansenii in libro *Augustinus* continentur. » Quid, quaeso, commune inter hujusmodi facti conceptum, et conceptum magisterii infallibilis ?

Et revera, Deus, ubi revelat Ecclesiae magisterium infallibile in docendo, non ideo docere censetur proprie et formaliter quicquid docebit Ecclesia, sed dat nobis securitatem, ut Ecclesiam sine erroris formidine audiamus.

61. Et sic patet responsio ad argumentum Lugonis, ubi conatur ostendere veritatem omnem ab Ecclesia definitam, revera esse conclusionem ex duabus praemissis formaliter revelatis legitime deductam. In syllogismo quem affert : « Id omne quod Ecclesia proponit, assistente Spiritu Sancto ne erret, est infallibiliter verum ; atqui Spiritus Sanctus assistit Ecclesiae id definiendi ; ergo quod definiit Ecclesia est infallibiliter verum, » sic major est distinguenda et explicanda : quod Ecclesia docet est infallibiliter verum, id est : datur obligatio Ecclesiae docenti assensum prestandi, assensum, inquam, cujus motivum immediatum sit, aut auctoritas Dei loquentis, aut auctoritas ipsa Ecclesiae, prout veritas ab ea definiatur tanquam de fide, aut non definiatur tanquam de fide. In primo casu, veritas definita credi debet actu fidei divinae, non in secundo.

Unde ad conclusionem : Ergo hoc quod definiit Ecclesia est infallibiliter verum ; concedo illam esse de fide, sed intellectam de obligatione adhaerendi tali

propositioni quam definiit Ecclesia. Quae obligatio censetur revelata formaliter cum Ecclesiae magisterio infallibili. Christus enim revelando Ecclesiam habere infallibile magisterium, eo ipso formaliter revelavit omnes ejus sententias doctrinales esse obligatorias, ac proinde dari praeceptum tali vel tali particulari sententiae praestandi obsequium. At non est de fide nos semper teneri praedictum obsequium praestare per actum fidei divinae ; seu, de fide non est hoc quod definiit Ecclesia esse semper verum, hoc sensu, quod sit veritas per actum fidei divinae credibilis. Ecclesia enim jus habet definiendi etiam veritates formaliter non revelatas, quoties id exigit incolumitas fidei vel morum.

62. Hinc admittenda est distinctio inter fidem *divinam* et *ecclesiasticam*. Fides *divina* assentitur veritati, propter auctoritatem Dei revelantis, modo antea constiterit de facto revelationis, quo de facto saepissime certioramur per Ecclesiae definitionem, veritatem proponentis tanquam formaliter revelatam.

Fides *ecclesiastica* adhaeret veritati, propter auctoritatem Ecclesiae definiens, modo antea constiterit de facto ipso definitionis. Hanc fidem nonnulli vocant *mediate divinam* ; quia assensus tunc mediate nititur verbo divino, quo magisterium Ecclesiae revelatum fuit.

#### QUAESTIO X.

An et quomodo veritates revelatae per certos articulos distinguantur ?

(S. Th. 1. 2. q. 1. a. 6.)

63. Resp. 1<sup>o</sup> : Vox *articulus* significat quamdam

coaptationem aliquarum partium distinctarum. Adest autem inter veritates revelatas talis coaptatio, vi cuius plures ad unam aliquo modo ita accedunt, ut superata difficultate hanc credendi, caeterae facili negotio admittuntur. Unde omnes hae veritates ad eundem articulum pertinent; nec novus adest articulus, nisi quando nova occurrit difficultas, novaque coaptatio ad alia credibilia. Sic, v. gr., quod Christus sit passus, mortuus et sepultus constituit eundem articulum; quod mortuus fuerit et resurrexerit efformat duos articulos.

64. Insuper, quia fides est *sperandarum substantia rerum*, nomen articuli fidei hisce reservatur veritatibus, quae nos directe et per se ordinant ad vitam aeternam. Aliae vero quae in Scripturis referuntur, puta: quod Tobias habuerit canem, sicut non sunt ex principalibus credibilibus, nec ordinant directe ad gloriam, ita nec pertinent ad credibilium divisionem in articulos.

65. Itaque articulus fidei definiri potest: « Propositio catholica primario ad fidem pertinens, et specialem habens difficultatem ad credendum. » (Bill. *De fide*, Diss. 1. art. VII.)

66. Resp. 2°: Non una est sententia circa numerum articulorum fidei. Alii, prout sentiunt veteres cum S. Thoma, quatuordecim recensuerunt; alii vero communissime, cum Catechismo Romano et tota plebe christiana, duodecim tantum appellant; quorum sex spectant divinitatem, et sex humanitatem Christi.

Circa divinitatem, nobis proponuntur: 1° unitas Dei, 2° Trinitas personarum in Deo, 3° opus creationis, 4° opus sanctificationis, nempe: Ecclesia sancta,

sanctorum communio, remissio peccatorum, 5° carnis resurrectio, 6° vita aeterna animae.

Circa humanitatem Christi, nobis proponuntur: 1° conceptio et nativitas ex B. Virgine, 2° passio, mors et sepultura, 3° descensus ad inferos, 4° resurrectio, 5° ascensio, 6° adventus ad iudicandum.

67. Fuisset quidem conveniens sacram Eucharistiam inter fidei articulos adnumerare, eo quod specialem prae se ferat difficultatem. Sed praeterea quod primum, ob arcani legem, omissa fuerit, respondet D. Thomas (2. 2. q. 1, a. 8. ad 6.): « Quod in sacramento Eucharistiae duo possunt considerari; unum, scilicet, quod sacramentum est, et hoc habet eandem rationem cum aliis effectibus gratiae sanctificantis; aliud est quod miraculose ibi corpus Christi continetur, et sic concluditur sub Omnipotentia, sicut et omnia alia miracula quae Omnipotentiae attribuantur. »

#### QUESTIO XI.

An et quatenus aliquod incrementum in objecto materiali fidei divinae sit agnoscendum?

(Theol. Wirceburg. *De fide*: Disp. II, c. 2, art 4, n. 108...113.)

68. Resp. Non agitur de thesauro revelationum privatarum, quem compertum est, labentibus seculis, adauctum esse; sed quaestio versatur circa veritates quae sunt objectum revelationis publicae.

Inter has autem, aliae dicuntur *principales*, aliae *minus principales*. Principales ad quatuor revocan-

tur, quarum duae generales spectant Dei existentiam, ejusque circa homines Providentiam, de quibus meminit B. Paulus (Hebr. xi, 6) dicens: *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit*; duae autem particulae sunt: Trinitas et Incarnatio. Omnes aliae, praeter quatuor supradictas, nuncupantur *minus principales*. Quibus praelibatis:

69. Dico 1°: *Objectum materiale fidei non crevit quoad veritates principales, seu, illae ab initio mundi revelatae fuerunt.*

1° Thesis patet quoad duas priores generales; quia illarum fides semper fuit necessaria necessitate medii ad salutem; et ideo Deus non potuit eas hominibus non manifestare ab initio.

70. 2° Quoad dogmata Trinitatis et Incarnationis, communiter docetur illa ab exordio generis humani revelata esse. Scripturae sacrae interpretes passim ostendunt, in veteri Testamento, textus haec duo mysteria satis clare exprimentes. Unde S. Aug. (*Ep. 157 ad Optatum*; alias 190, n. 6) sic loquitur de fidelibus ante Christum: « Eadem est fides nostra et illorum; quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum. » Equidem fides illa fuit magis explicita in Patriarchis, magistris et principibus populi Hebraeorum; a vulgo autem haec eadem mysteria credebantur implicite.

71. Dico 2°: *Quoad veritates minus principales, objectum fidei, ab Adamo ad usque Christum et Apostolos inclusive, incrementum accepit.*

Etenim, ut ex sacris Litteris constat, Deus multa successive revelavit Adamo, Abrahae, Moysi, David, aliisque prophetis. Maxime autem in novo Testamento, per Christum et Apostolos multa patefacta sunt, quae in veritatibus antea revelatis, formaliter non continebantur, videlicet: variae circumstantiae Incarnationis et Redemptionis, praecepta positiva, sacramenta, et alia hujusmodi.

72. Dico 3°: *Fidei objectum materiale, a Christi temporibus, non accepit neque accipiet unquam incrementum, nisi improprie et secundum quid.*

Incrementum objecti proprie et simpliciter dictum locum habet, quando Deus de novo manifestat veritates nondum formaliter revelatas. Atqui tale incrementum, a tempore Christi et Apostolorum, neque factum est, neque unquam fiet.

Prob. 1° ex Scripturis ubi Christus ait: *Omnia quaecumque audivi a Patre meo nota feci vobis* (Joan. xv, 15), et: *Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* (Joan. xvi, 13.) Jam vero Christus dicens: *omnia quaecumque audivi et omnem veritatem*, certe non significat omne verum, absolute loquendo; sed illud omne quod Christiani credere debent, seu, omnia dogmata suae Religionis ad usque mundi finem duraturae.

73. Prob. 2°. Si quae fieret nova revelatio publica ad christianam Religionem pertinens, certe haec revelatio Ecclesiae docentis magisterio committeretur, quatenus Ecclesiae jus competit sacram doctrinam omnibus proponendi et explicandi, necnon eam usque ad seculi consummationem custodiendi. Atqui

Ecclesia jus tale sibi non agnoscit; nam conc. Vatic. exponens naturam infallibilitatis Romano Pontifici collatae (*De Eccl. c. 4*), ait: « Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut, eo *revelante, novam doctrinam patefacerent*; sed ut, eo assistente, traditam per Apostolos revelationem, seu, fidei depositum, sancte custodirent et fideliter exponerent. » Et revera, nulla est ex definitionibus Ecclesiae quae doctrinam noviter revelatam sapiat.

74. Prob. 3°. Ecclesia dicitur *apostolica* apostolicitate doctrinae. Atqui talis apostolicitas in eo consistit, quod Ecclesia nihil doceat quod ab Apostolis non acceperit.

75. Dixi: non dari incrementum *nisi improprie et secundum quid*.

Illud incrementum locum habet, ubi: 1° dogma de cuius revelatione controvertitur, ab Ecclesia docente declaratur divinitus revelatum; 2° dogma certo revelatum, clarioribus verbis exprimitur, contra illud male intelligentes; 3° decernitur talem veritatem in altera revelata contineri formaliter, quamvis implicite.

In iis omnibus casibus, nihil proponitur de novo revelatum; sed revelatio facta in tuto ponitur; et hoc est munus proprium Ecclesiae docentis.

## DISSERTATIO SECUNDA

DE ACTUS FIDEI DIVINAE MOTIVO, SEU, OBJECTO  
FORMALI.

76. Circa fidei divinae motivum, inquirendum venit: quid sit, in quo praecise consistat, qua ratione cognoscatur, et influat in assensum credentis. Ad quod explicandum quaeruntur septem.

### QUAESTIO I.

Quid per motivum fidei divinae proprie intelligatur?

77. Resp. In praesenti, motivum fidei non consideramus in ordine ad voluntatem. Statim enim intelligitur motivum fidei, ut sic, esse bonum illud cuius appetitus voluntatem ad actum fidei imperandum determinat. Quod bonum multiplex fingi potest, videlicet: 1° debitum subjiciendi intellectum Deo loquenti; 2° obedientia erga Deum qui fidem praecipit; 3° meritum quod credendo lucratur; 4° major adhaesionis certitudo ac firmitas, etc...

78. Consideramus itaque divinae fidei motivum in ordine ad intellectum credentem; et, ut sic, est aliqua veritas quae cum objecto revelato connexionem habet et necessariam et immediatam.

Requiritur 1° connexio necessaria. Est enim, in genere, motivum intellectus, id cuius cognitio effica-